



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus II. De Valore donationis rei alienæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

quo consultis aliis prudentibus, & nullum jus occultam compensationem faciendi competere.

CASUS II.

De valore donationis rei alienæ.

Petrus cellæ viniariæ ad certum monasterium spectantis præfectus, licet in abundantia haberet vinum proprium ejusdem cum priore bonitatis & qualitatis, donat Joanni dolium vini Monasterialis, occasione hujus castis.

Q. 1. An hæc donatio fuerit valida?

Q. 2. An dominium donati vini acquisiverit donatarius?

Q. 3. Utrum in defectum Petri donantis ad satisfaciendum Monasterio obligatus sit donatarius Joannes?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum donatio rei alienæ valeat?

- | | |
|--|--|
| 1. Diversitas rerum, quæ alienari possunt, ostenditur. | 4. Satisfit rationi oppositæ n. 2. |
| 2. Ejusmodi donationis valor videtur probari posse ex valida rei alienæ donatione. | 5. Et alii cuidam objectioni. |
| 3. Rei alienæ, usu non consumptibilis, donatio est invalida. | 6. Valida est donatio rei alienæ usu consumptibilis, si donans ejusdem cum re donata bonitatis, & qualitatis bona possideat. |

§. II.

Resolvitur secundum quæsitum.

Utrum donatarius rei alienæ dominium acquisiverit?

- | | |
|--|---|
| 7. Aliqui contractus possunt esse validi sine translatione domini. | 10. Et quidem non tantum imperfectum aliquod. |
| 8. Donatio absolutè non valida non transfert dominium. | 11. 12. 13. 14. 15. 16. Satisfit rationibus oppositæ sententiæ. |
| 9. Valida donatio rerum usu consump- | B 2 |
| | 17. Do- |

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

*Num donatarius in defectum Petri donantis teneatur
satisfacere domino rei alienæ?*

17. Donatarius retinens adhuc formaliter rem alienam usu non consumptibilem debet istam ante donantem restituere.
18. Si res non consumptibilis usu existat in æquivalenti apud donatarium male fidei, hic primario ad restituendam illam obligatur.
19. Donatarius male fidei rem usu non consumptibilem destruens, hanc nec apud alium, nec apud se existentem saltem in defectum donantis debet restituere.
20. Et juxta aliquos DD. probabiliter etiam primo loco.
21. Bonæ fidei donatarius si ex re donata & bona fide consumpta non evasit ditior, ad nihil obligari poterit.
22. Primario tamen obligabitur si evaserit ditior.
23. Omnino à restitutione exemptus erit Donatarius si res fuerit usu consumptibilis, & donans potens ad compensandum, & ut talis prudenter habitus fuerit.
24. Probabilis tamen fur non transfert dominium rei furtivæ in donatarium.
25. 26. 27. Satisfit nonnullis objectionibus.

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum donatio rei alienæ sit valida?

1. Res, quas alienare possumus, sunt vel usu consumptibiles vel non: item alienans rem usu consumptibilem, vel habet alia bona ejusdem cum re alienata bonitatis & qualitatis, vel non habet: de utrisque an validè à non domino donentur, moveri potest quæstio.
2. Pro valore talis donationis facit paritas desumpta ex venditione, quæ licèt sit rei alienæ, agnoscitur tamen illa ut valida saltem in ordine ad aliquos effectus: ergo etiam talis donatio erit valida, quia omnia & singula in utroque casu interveniunt.
- Dico 1. Donatio rei alienæ usu non consumptibilis est nulla, & invalida. Ita certissima tenet sententia omnium Doctorum. Probat, cujuslibet donationis valor consistit in translatione domini rei donatæ: ergo sine hac translatione non erit valida Donatio: atqui in donatione rei alienæ usu non consumptibilis non transfertur dominium: ergo non erit valida donatio. Probat, antecedens. In L. 1. & per totum ff.

De donat. § *Cod. eodem tit.* donatio liberalis est propriorum bonorum alteri facta concessio: sed hæc concessio est translatio domini: ergo &c.

Confirmatur juxta Laym. Lessium l. 2. c. 18. dub. 2. & alios donatio alia est imperfecta, alia perfecta: illa est verbalis tantum, quæ fit de re absente. Ita ut dominium rei non transferatur; hinc non est propria & vera donatio, eò quòd per istam transferatur dominium in donatarium. Translatio autem domini non fiat sine traditione: ergo essentia veræ donationis exigit translationem domini.

Confirmatur. 2. Juxta Lessium l. 2. cap. 18. dub. 2. num. 11. Licet verbalis donatio à promissione aut verbali traditione incipiens per se foret sufficiens ad transferendum dominium, quia tamen jure positivo impeditur translatio domini absque traditione, ideo sine hac non datur perfecta donatio: ergo hæc necessario involvit translationem domini.

Confirmatur 3. Promissio à donatione in eo differt, quòd illa ex natura sua non habeat vim transferendi dominium, eò quòd donationem futuram respiciat, donatio vero licet verbis duntaxat fiat, habeat hanc vim per se, eò quòd sit translatio rei de presenti in alterum, quæ tamen uti dictum à lege sine traditione rei impeditur: ergo &c.

Probatum itaque modò antecedens subsumpti, afferens in donatio-

ne rei alienæ usu non consumptibilis non transferri dominium. Quod ipse venditor non habebat, illud non potest transferre in emptorem. *V. Legis rem alienam* § *Legis ex empto* l. 1. ff. de actione. empti, etiam *Lege* l. 1. ff. de Reg. Juris habetur. *quod nostrum est, sine facto nostro in alium transferri non potest.*

Ad rationem in contrarium oppositam respondeo; disparitatem esse, quòd valor venditionis non includat essentialiter translationem domini rei alteri venditæ: ergo etiam absente hac translatione poterit subsistere valor venditionis. Contrarium uti vidimus contingit in donationibus.

Ob. contra r. conclusionem, quæ dicit nullam esse donationem rei usu non consumptibilis & alienæ, hoc modo. *Toto tit. ff. pro donato.* habetur, quòd rei alienæ donatio valeat eatenus, ut transferatur conditio ufucapiendi, seu potestas præscribendi illam. R. vel ponitur casus, quòd donatarius sciat rem esse alienam, & non donantis: vel nesciat: si nescit, potest quidem præscribere, quia habet titulum coloratum; ex hoc autem non sequitur, quòd donatio fuerit absolutè, & possit dici, valida, nisi omnes contractus occulto vitio laborantes velimus dicere esse validos, quia præbent titulum coloratum. Si ponas donatarium fuisse conscium, nego donationem in ordine ad præscriptionem esse validam.

Dico 2. Si res donata fuit ipso

B 3

usu

usu consumptibilis, licet aliena, probabilius tamen validam fuisse donationem. Si depositarius habeat v. g. ejusdem bonitatis & qualitatis bona ac sunt res donatæ. Ita sentiunt *Abulensis, Major, Alfiodor, Cajetan, Sotus 6. de Just. q. 1. art. 4. Bannes. & Arragon. Salon. Valent. Disp. 5. q. 21. p. 3. Coroll. 2. & ad 3. Mercado: Lopez. Navarr. Corduba, Joannes Salas citati apud & cum Palao Disp. 1. de Just. p. 13. n. 9. contra Covarruv. Regula peccatum 3. part. in princ. num. 2. Molinam. disp. 330. contrarium probabiliter tenentes.* Probatur ratione: si non fuisset valida, foret potissima ratio, quia ex una parte res aliena sine voluntate veri domini non potest alienari: ex altera vero parte desuit voluntas veri domini in talem donationem ac translationem domini neutiquam consentientis: hæc autem voluntas non desuit, si donans depositarius habuit ejusdem bonitatis & qualitatis bona, ac fuerunt res donatæ: ergo &c. Probatur minor. In hoc casu donans etiam post translatum talis rei dominium æquè potest satisfacere Creditori, & domino rei donatæ, ac si res aliena à donante non fuisset nec abdicata: ergo adest præsumpta voluntas veri domini consentientis in translationem domini.

Probatur 2. oppositæ sententiæ patroni admittunt cum Molina & Covarruvia, usufructu, furem, depositarium posse licet quovis contractu oneroso, vel etiam gratuito

alienare res usu consumptibiles, si habeant ejusdem bonitatis cum rebus alienatis: ergo etiam validè. Probatur consequentia. Si licet tunc ideo, quia dominus rei & creditor consentit, non esse rationabiliter invitæ & consequenter consentire, eò quòd videantur esse contenti, si in tali casu ipse alienans maneat obligatus: sed hæc ratio probat etiam consensum illius in translationem domini: ergo &c. prob. min. si in translationem domini non consentiret, etiamsi invitus non esset circa alienationem; ex ejusmodi alienatione maximum commodum reportaret Dominus: prob. ex tali contractu acquireret dominus novum debitorem & quasi dejustorem, alterum scilicet contrahentem, ita ut iste in defectum veri ac principalis debitoris atque alienantis deberet rem taliter alienatam solvere, & ad hanc solutionem non solum ratione rei acceptæ, sed etiam contractus hanc conditionem habentis imbitam obligaretur: sed hoc videtur esse nimium ergo &c.

Confirmatur in principis adversariorum distragens talem rem alienam & ipso usu consumptibilem, deberet accipientem monere de onere illi imposito, scilicet rem vero domino tradendi, si forte ipse non reddiderit, licet distragens sufficientia bona ejusdem qualitatis ac bonitatis haberet. Ulterius etiam distragens pro accepto pretio rem talem alienam, cum hoc premium postea distrahit, deberet hunc secundum

cundum venditorem monere de simili onere: sed hæc non sunt usitata: ergo &c. prob. a. omnis emptor aut venditor debet moneri de gravi onere, quod ex tali contractu eidem imponitur: ergo cum hoc sit grave onus, debebunt de hoc præiata persone moneri.

Conf. 2. Si talis alienatio juxta adversarios est licita tantum, dominus talis alienatæ rei posset istam statim vindicare à retentore, etiamsi facile posset aliam ejusdem bonitatis & qualitatis obtinere ab eo, qui alienavit: sed hoc est contra præxin communem: ergo &c.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum donatarius donatæ alienæ rei dominium acquisiverit?

7 **P**osse esse validum aliquem contractum, quin per hoc dominium in alterum transferatur, patet ex venditione rei alienæ, quæ valida potest esse, quin transferatur dominium ejusmodi venditæ alienæ rei. Ita pronuntiat *Lex 28. ff. de contrahenda emptione: Rem alienam distrabere quem posse nulla dubitatio est, nam emptio est, & venditio: sed res emptori auferri potest. Idem traditur L. 11. §. 2. ff. de action. empti: & L. 8. Cod. si quis alteri.*

Prout igitur venditio rei alienæ valida esse potest, quin transferat dominium in emptorem: Ita pariter donatio rei alienæ videtur posse esse valida, quin rei donatæ dominium ad donatarium transeat.

Primo igitur certum est, nunquam transferri rei cujusdam dominium in alterum, si contractus donationis fuit absolute invalidus, quia fundamentum translati domini est ipsius donationis valor: cum ergo rei, quæ ipso sui usu non est

consumptibilis, donatio juxta probata sit invalida & nulla; per hanc nullum in donatarium rei talis dominium transit. Quæstio itaque duntaxat superest de rebus usu ipso consumptibilibus.

Dico itaque; donatio valida talium rerum transfert verum dominium in donatarium, consequenter noster donatarius verus dominus donati sibi alieni vini evasit. Probat. Juxta dicta est de essentia donationis veræ, ac realis, ut transferat dominium: ergo impossibile est, ut donatio rei etiam alienæ sit valida, & non transferatur dominium in donatarium.

Dices: transferri quidem aliquod dominium, imperfectum tamen, ac revocabile ad nutum veri domini R. imperfectionem hujus domini neque ex aliqua lege, neque ex natura consensûs veri domini desumi & argui, cum hic absolute consentiat, & ad eventum impotentiae donanti per accidens supervenientis

tis se non reflectat: eo quod videat, illum sufficienter ex suis bonis esse.

10 Dices 2. Ex hoc sequi, etiam translatum fuisse dominum in alterum licet alienaris ex tali alienatione fuerit effectus impotens ad solvendum: ergo &c. R. n. quia in tali casu etiam juxta adversarios est illicita alienatio, eò quod præsumi nequeat consensus domini in illam.

11 Dices 3. si fur, Usurarius, & depositarius dominum illarum rerum non habuerunt, non possunt hoc transferre in alium: sed: ergo &c. R. Dist. M. non possunt hoc transferre in alios nomine suo, & proprio; concedo: nomine & ex præsumpto consensu domini veri negatur.

12 Dices 4. in *Lege rogasti §. ultimo ff. si certum petatur*: fugitivus, vel alius servus contra voluntatem domini credendo, hoc est mutuando, non facit accipientis.

Item *Lege: nam etsi fur. ff. eodem* licet fur nummos tibi dederit animo credendi, accipientis non facit. Denique in *Lege si §. me §. T. tum; eodem tit.* dicitur. Si debitor pecunias meas tibi mutuò dedit, mihi esse restituendas ergo &c.

R. concessis textibus dist. conf. ergo non est valida talis alienatio, si distrahens fiat impotens ad solvendum ex tali distractione: conf. si maneat potens: negatur. Personæ in citatis textibus allatæ ut plurimum & secundum communem usum rerum sunt impotentes ad solvendum suum debitum: ergo

sicut illicitè distrahunt, ita etiam invalde: Leges ergo tantum loquuntur de iis, quæ communiter eveniunt.

Dices 5. Nemo omittit dominium in suam rem per merum factum alterius: ergo ad quemcumque dominium talis rei transeat, semper manebit sub dominio prioris domini. R. dist. a. nisi tacite & præsumptivè consenserit talis dominus: con. si taliter consensit nego.

Dices 6. quilibet possessor rei alienæ obligatur ad hanc extradendam suo domino: ergo non potest illam donare alteri. R. hoc argumento probari etiam illicitam fore talem donationem, quod tamen adversarii negant. Respondeo 2. tenetur cum domino tradere, si advertat illius traditionem alteri factam fore injuriosam vero domino con. si prudenter præsumat verum dominum consentire: ne:

Dices 7. si talis res aliena alteri hujus vitii ignaro donaretur, vel donans deberet monere donatarium: aut verum dominum, vel non? si donatarium non moneat, dolose agit inducens illum ad accipiendam rem, quam forte non acciperet: idem videtur respectu domini posse dici, quia hic conscius suam rem repeteret à donatario. R. si usu, prout ponimus, res donata consumptibilis sit, & donans sciat se esse solvendo: insuper nullum aliud damnum aut molestia domino aut donatario eveniant, nulla fore opus admonitione; ut per se patet.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num donatarius in defectum Petri donantis teneatur satisfacere domino rei donatæ?

16 **D**ico 1. Qui rem alienam usu non consumptibilem bona, vel mala fide, id est sciens, vel non sciens illam esse alienam, & non donantis, accipit, & acceptam adhuc formaliter possidet, ad illam restituendam erit obligatus primario, & non tantum in defectum donantis. Ita communis. Probatur. Res aliena semper clamat & tendit ad dominum suum. Dein qui plus habet, quam sibi debeat, ex lumine rationis & naturæ tenetur hoc illi reddere, qui exinde minus habet, quam quod sibi debeat. 3. Quilibet potest rem suam à quocumque possessore vindicare: cum ergo ob nullitatem donationis res hæc non deserit esse sui veri domini, hic illam à donatario poterit repetere.

17 **Q**uod si autem res hæc usu non consumptibilis formaliter non extet apud donatarium malæ fidei, sed æquivalenter, seu quoad pretium, donatarius adhuc primario & non solum in defectum donantis debet illam restituere. Ita Vasquez, Lessius l. 2. de Just. cap. 13. dub. 5. num. 39. Molina. Lugo de Just. Disp. 19. sect. 4. num. 119. cum communi. Ratio est. Quod æquum & naturæ conveniens sit, ut sentiat damnus, qui senserat ipsum

lucrum. 2. Talis donatarius & accipiendo & distrahendo aut corumpendo, scienter rem alienam cum formali duplici injuria, damnus vero domino intulit, & ex hoc se ditiores effecit: ergo ad hoc reparandum erit obligatus ante donatorem, qui ex sua donatione ponitur non fuisse ditior effectus.

Denique. Si talis malæ fidei donatarius rem usu non consumptibilem destruxit, ita ut neque apud ipsum, neque apud tertium formaliter, aut æquivalenter existat, donatarius ad minimum tenebitur in defectum donantis ex titulo scilicet injustæ acceptionis in donatione, & voluntariæ formali damnificatione veri domini, dum rem illius mala fide destruxit.

Quin imo Vasquez, Lessius, Molina citati apud Lugonem adducto superius loco defendunt, si is, ad quem res aliena fide mala pervenit, rem talem injustè consumpserit, illum primo loco ad restitutionem obligatum fore, eò quod in tali casu particulariter se obligaverit ad rem hanc ante omnes alios persolvendam. Consentire etiam videtur Lugo num. 120. citatæ sectionis quartæ. in quantum asserit, talem consumptorem injustum primo loco non esse obligatum ad restitutionem casu quo

quo

quo fuerit solum causa instrumentalis destruens rem ex mandato alterius: ergo cum donans non mandaverit donatario, ut rem hanc destrueret, ideo donatarius non erat causa solum instrumentalis, & consequenter neque exemptus à restitutione primo loco faciendâ.

20 Quod si demum ultimo ponamus, donatarium bona fide rem donatam acceptasse, & ex illa eadem fide bona consumpta nequam ditiores evasisse simpliciter erit exemptus à restitutione, quia ad hanc neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione, prout patet consideranti, obligari poterit.

21 Major quæstio est, utrum donatarius bonæ fidei, si ex talis rei alienæ venditione evasisse ditior, teneatur primo loco ante donantem ad reparandum damnum domino illatum? quod obligetur in defectum donantis, videtur esse extra controversiam ob rationes superius allatas. Eundem autem etiam primo loco teneri, ex eo videtur posse evinci: quia renetur ex re accepta in æquivalenti apud eum existente. Donans autem quia ponitur non fuisse factus ditior: ex sola injusta acceptione: atqui obligatio ex titulo rei acceptæ est fortior titulo ex injusta acceptione. Ergo. Ex altera parte verò donans est malæ fidei, donatarius verò bonæ. His tamen non obstantibus videtur donatarius bonæ fidei per se ac primo esse obligatus: quia *ex Lege: nam in hoc: ff. de condit. indebiti: dicitur: natura*

æquum est, neminem alterius damno locupletiores fieri.

Dico 2. Si res donata fuerit usu consumptibilis, & donans potens ad satisfaciendum domino ex suis bonis extiterit; prudenter etiam presumi poterit, quod sit etiam compensaturus, donatarius non obligabitur in defectum donantis, licet res donata apud illum existat formaliter, vel æquivalenter. Ita sentiunt omnes qui timentur in tali casu factam donationem rei immobilis transferre dominium in donatarium. Ratio est: rem donatam etiam adhuc actu existentem non tenetur restituere ex injusta acceptione, eò quod donatio & acceptatio ex præsumptivè consentientis domini voluntate facta, vero domino nequam injuriosa fuerit; neque ex re accepta, quia dominium rei sibi donatæ ponitur acquisivisse; & actione reali solus alienæ, vel obligatæ rei possessor conveniri possit. *Vi §. omnium 1. Institut. de action. Lege pignori 17. ff. de pignoribus.*

Ex hoc ipso fundamento probatur, quod neque res in æquivalenti existens sit restituenda: non enim donatarius fuit factus ditior ex re aliena sed ex re donata, quæ ob titulum donationis in illius dominium transit.

Confirmatur, quia vendens bona fide vel etiam mala ignaro emptori rem alienam, evadit dominus pretii, ideo nec potest, nec solet dici rem alienam tali pretio vendi-

tam apud me existeret in æquivalenti, si vendens illud pretium mihi donaverit: ergo si etiã res donata evaserit mea, non potest dici, quod in æquivalenti apud me existat, si ex illa distracta evasi ditior, quia ex re mea & non ex aliena sicut occasione rei alienæ factus fui ditior.

23 Dices: ponamus Petrum etiã frumento abundantem furto subtraxisse Paulo plures modios tritici, & hos postea donasse Joanni, nec fuisse ex hac donatione redditum impotentem ad solvendum ex suo: evasitne Joannes in hoc casu dominus frumenti vel non? Non potest dici, quod evaserit; quia *Lege etsi fur: ff. si certum petatur*: definitur contrarium: sed neque potest dici, quod non evaserit dominus, quia in nostris principiis consensisse in hanc donationem præsumitur dominus. R. probabilis in hoc casu dominium rei hujus furtivæ non fuisse translatum ob adductæ Legis dispositionem; licet enim in dato casu fur ponatur non fieri impotens ad restitutionem, ordinariè tamen, qui furantur, non sunt talibus mediis instructi, ut ex suis bonis satisfacere creditoribus possint: ergo cum Leges procedant secundum communem cursum, quo spectato, prout diximus, ordinariè fur non est æquè potens ad faciendam restitutionem, si rem furtivam alteri donet: ideo bene de furibus universaliter statutum fuit, ut nunquam rei furtivæ dominium transferant in donatarium, licet in parti-

culari rarissimo quodam casu aliquis fur esset ex suis sufficiens ad reparandum damnum: quia jura à communi & ordinario periculo, quod semper datur, ad tale statuendum permota fuerunt.

Urg. quod de fure à jure statutum, ob paritatem rationis ad quemcunque alium alienatorem est extendendum. R. n. quod ratio pro furibus & servo fugitivo faciens etiã pro aliis pugnet: ut patet consideranti. Dein etiã si eadem ratio pugnaret pro quibuscunque aliis alienationibus; quia tamen citata Lex de solis furibus expressè loquitur; non erit illa ab expressis extendenda ad non expressos cum finis legis non cadat sub legem: insuper hæc lex videatur esse odiosa, & odia sint restringenda. Accedit, quod nostra conclusio procedat de rebus usu consumptibilibus quarum reparatio ut plurimum facilius fieri potest, quàm rerum suo usu non consumptibilium. Favet etiã nobis commune adagium: exceptio unius firmat regulam in contrarium.

Dices 2. In *Lege si C me C Ti. 24 tium: ff. si certum petatur*. Dicitur si debitor pecunias meas tibi mutuo dedit: mihi esse restituendas. In hoc loco de quocunque debitorre & pecuniis quocunque ex capite, non solum ex furto alienis dicitur, quod data tertio mutuo sint restituendæ: ergo &c. Probatur. Non tantum de rebus furtivis loquuntur. R. jam antea à nobis infi-

nuatum fuisse, leges procedere secundum ea, quæ ordinariè procedunt: cum ergo ordinariè donator rei alienæ non maneat sufficiens, ut ex suis possit satisfacere domino, ideo tulerunt dictam Legem. Quod si autem in casu quodam particulari donator adhuc maneat sufficiens, in illo non erit illi Legi locus: hoc ipsum videmus in aliis circumstantiis. Datur privilegium eximens senes 60. annorum ab obligatione jejunii, & tamen multi defendunt etiam 60. annis natum non esse deobligatum, si non habeat fractas vires.

Item lex statuit, ut sponsalia à nondum habente 7. annos inita non valeant: juxta multos tamen hæc valebunt, si nondum septem annos natus sufficientem usum rationis habeat: ergo idem in hoc casu teneri potest.

Quod si hæc responsio non plenè satisfaciatur, aliam, quæ Nobis videtur magis solida, subjungimus: ibidem, scilicet *Lege 32. si Sine, & Titium. ff. de rebus creditis*. Sermone esse de pecuniis mihi debitis, & quas meus debitor tibi, à me petente mutuam, ex meo jussu dederat mutuas: de his itaque pecuniis ita tibi mutuo datis dicitur, illas mihi à te reddendas esse conditione certi generali; vel sine causa; non mutui: ex opposito in nostro casu instituitur questio de alienis pecuniis, vel rebus aliis usu consumptilibus, quas meo, & non creditoris mei nomine, alteri donaveram.

Magnum autem discrimen est inter casum, quo res alteri debitas ex jussu & nomine illius, cui illæ debentur, demutuas; & inter casum, quo meo nomine res alienas usu consumptibiles aliis donavi.

Dices 3. contra conclus. n. 22. 25. propositam: licet dominus vinum alienum habens de suo æque bonum, quo domino illus possit hic & nunc satisfacere; possit præsumere, quod dominus sit contentus; hæc tamen præsumptio non raro fallit; ceditque veritati: ergo non semper transferetur dominium ejusmodi donatæ rei usu consumptibilis in donatum. R. 1. totum hoc argumentum posse retorqueri in casu, quo religiosus ex legitime præsumpta licentia aliquid donatum accipit, vel extero donat: potest enim etiam hæc præsumptio fallere: vel si dicas, hanc non posse fallere; eò quod tales circumstantiæ ponantur adesse; ut omnes iudicent, superiorem non posse esse rationabiliter invitum, id ipsum in nostro casu respondemus. R. 2. hæc præsumptionem, cum sit prudens, & in talibus circumstantiis concepta, ut dominus nequeat esse rationabiliter invitus, ideo illam nunquam falsam futuram; licet enim foret dominus invitus, conferent esse talis irrationabiliter; quales juxta omnes forem, si talem imperialem A. dedissem Petro: invitus autem forem quod mihi non eundem numero talem imperialem, sed alium omnino similis bonitatis

nitatis, ac speciei, & numero tantum à meo differentem restitueret.

26 Dices: 4. Esto, dominus consentiat in eam alienationem; gratis tamen dicitur, quòd absolute consentiat in ejus valorem, ac sine restrictione ad regressum in donatarium, vel donantem, casu, quo donanti suum vinum totum periret, vel iste, non amplius solvendo esset R. ideo hæc non gratis à nobis dici, quia dominus ratione hujus donationis etiam absolute factæ non constituitur in statu deteriore, sed potius in meliore: si enim ejus modi res usu consumptibis non fuisset alienata; sed destructa casu, aut ex quodam infortunio, prout potuit absolute fieri, ipsi perisset: nunc autem licet apud donatarium pereat, compensare tamen hoc damnum domino debebit ex suo depositarius donans: quòd si ponas, etiam donanti suum rotum vinum perisse, compensatio domino à donante faciendâ erit in alio quodam æquivalenti; pecuniis &c. Quòd si demus, donantem omnino, & totaliter inhabilem præter omnem in-

tentionem ad solvendum evasisse, respondeo hunc casum esse rarissimum, & hinc æquo animo ferendum à domino rei alienatæ, quali animo eidem ferenda esset jactura suæ propriæ rei, si hæc casu quodam absque culpa depositarii destructa fuisset,

Dices quintò. Ratio naturalis dictat, quemcumque teneri ad rem formaliter, vel æquivalenter extantem suo domino restituendam, si nequeat efficaciter probare, quòd illius dominium absolute in se translatum fecerit: sed donatarius hoc nequit efficaciter probare; prob. m. sententia opposita est æquè probabilis, quàm nostra: ergo &c. R. absolutum dominium in donatarium hac ratione translatum fuisse, sufficienter probari rationibus nostræ conclusionis: tum ex eo, quòd depositum transferit in mutuum, si depositarius illo in suum commodum utatur, aut illud alienet: consequenter talis depositarius rem talem fecerit suam, & hinc in alium absolute transferre possit.



C A S U S III.

De Donatis vicino & à Creditore postea repetitis ædibus.

Commissarius bellicus ex certa urbe discedens ibidem ad pinsendum pro militibus panem ædificatam domum vicino suo donat. Cives de hac donatione certiores facti, eò quòd necdum

C 3

per-